Universitätsbibliothek Paderborn

# Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi

Clagius, Thomas

Coloniae Vbiorvm, 1659

XXIII. Reliqui dies Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11544

# CAPUT XXIII.

## Reliqui dies Auguſti.

RElíquos proſequor dies Auguſti,non qui prætere-ierunt omnes,ſed quos mihi apud Lindam degere conceſſum eſt. Quid enim non menſibus duntaxat, ſed reſiduis Auguſti diebus actum Lindæ ſit, ſcire mihi nondum licuit; cùm ad VII. Cal. Sept. turbo bellicus Lindâ,& prid. Non. Sept. universâ me Pruſſiâ exegerit. Jam in exilio conſtituto, & locum non rarò mutanti, quin & bello adhuc per Pruſſiam necdum extincto, quæ poteſt certa rerum inde ſcientia perferri?

### I.

### Proceſſiones & populorum frequentia.

Quanquam labores,qui circa meſſem hoc tempore maximi ſunt, arcere quodammodo homines Lindâ videantur; ea nihilominus eſt omnium pietas, ut perruptis, quibus arcentur, vinculis frequentiſſimi, uti aliis quoque annis,accurrant. Invitabat hoc anno præſertim viciniores, ſacrum Jubilæi, uti jam meminimus, tempus. Sed & Aſſumptæ in cælum Virginis dies, & qui illum proximè ſunt conſecuti, plurimos exciverunt. Ac ipſo quidem Aſſumptionis die ſeptem omnino ſacerdotes pro ſacro tribunali ſtrenuè cauſam dicentes, vix ad ipſum merum meridiem confitentium multitudini facere ſatis potuerunt. Poſtero die, quo civitas Reſſelienſis, annuam depulſæ quondam peſtis causâ, Proceſſionem obit; Jubilæi quo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quoque ergo, præcipui civium ad ſacrum pænitentiæ Tribunal acceſſerunt; quatuor ſacerdotibus egregiè laborantibus, ſuum operæ precium conſtitit. Sed & octavâ Aſſumptionis die, quo tum alii, tum potiſſimùm Seeburgenſes ac Biſteinenſes frequentes adfuêre, ſex itidem ſacerdotibus ad ipſum fere meridiem nulla, pro ſacro Tribunali, quies fuit. Et, quid mirum, ſi in tanta populi laborumque multitudine tempus defuerit, plura Deiparæ beneficia, perquirendi, ne dicam conſignandi? Mihi quidem uni, minimùm terna inſuper erant conſignanda, quæ temporis anguſtiæ non patiebantur conſignari. Quid interim cæteris? Et tamen pro ea quoque temporum ac rerum ratione, ſat multa ſunt adnotata, quæ jam compendio promemus.

## II.

### Mulier abjectâ Lutheri ſectâ, eryſipelate liberatur.

In minore Kellen, Reſſelienſis municipii pago Gregorius Placotomus uxorem habuit Eliſabetham nomine, in Lutheri dogmate à teneris enutritam; quæ tandem meliùs ſapere edocta, Lutherum abjuravit, maximo non animi minùs, quàm corporis valetudinisque commodo. Sacro igne caput & vultum, plus annum erat affecta, neque remedium invenire ullum potuit: quæſivit apud Deiparam Lindenſem, & facilè invenit: unde gratias actura quovis anno Lindam venit.

## III.

### Mulier in partu adjuta.

Ad XVII. Calend. Septemb. Tabellæ duæ argenteæ ſunt dedicatæ, quarum alteri inſcriptum, Ambroſius Wunderlich, inſcriptionis perinde ac dedicationis cauſa latet. Eâdem die imago paulò major B. Virginis Lunam pedibus ſubjectam habentis dedicata eſt, cum inſcripta limbo ſalutatione Angelica, & quidem Germanico idiomate. Lateret itidem dedicationis cauſa, niſi infernè appicta eſſet puerperæ imago: quæ haud dubiè adjutam ope B. Virginis in partu mulierem teſtatur. Cùm autem Imaginem Dominus Schaw Meelſaccenſis dedicârit, facilè colligas, aut beneficium aut uxori ipſius, cuipiam de propinquis alteri exhibitum à Deipara eſſe.

## IV.

### Dentium abactus dolor.

Eâdem die Seeburgo advenit Eliſabetha virgo Joannis Flieger civis filia, per annum fere integrum, & oculorum & dentium exercita doloribus, nuſquam niſi in Deiparæ Lindenſis præſidio allevationem utriusque mali invenit. Proximo enim vere peregrinationem Lindam vovit; & jam inde cruciatus oculorum haud leviter eſt levatus, dentium verò ferè penitus abactus. Minùs diuturnus, at non minùs ſævus, dentium itidem dolor invaſerat Dorotheam Joannis Kornalowsky Bisburgenſis civis filiam

vir-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

virginem. Duas hebdomadas præ acutiſſimo crucia- tu, neque cibi, neque potionis quidquam ſumere potuit. Unicum & illi in B. V. Lindenſi præſidium fuit; cui proinde & illa, hoc tempore ſupplex, gratias maxima cum alacritate apud Lindam egit.

## V.

### Pueri duo comitiali morbo liberati.

Michaël quinquennis puer Joannis Preiſs civis Seeburgenſis filius, comitante & deducente Juſti- nâ matre, voto apud Lindam ſuo ſolutus eſt. Ipſo SS. Petri & Pauli ſuperioris anni natali die, Hercu- leus ille morbus puerum invaſit: continuò mater ad Dei Matrem ſupplex accedit, & filium tantis collu- ctantem malis commendat. Adjutus eſt ilico puer, & morbus à concepto Lindam voto facilè repul- ſus. Jam eo tempore mater Lindam & ſe & filium pariter ſtitiſſet, niſi alio impedita partu, differ- re iter coacta tantiſper fuiſſet. Quo quidem tem- pore Georgius Rang è Damerau colonus, unà cum Dorothea conjuge, undennem filium ſuum Pe- trum Lindæ ſtiterunt. Levatus & ille comitiali mor- bo fuerat; ſed non alio, niſi Deiparæ, remedio; quod eo majus atque gratius fuit, quo præſentius, atque maturius exhibitum.

## VI.
## Mortis periculum depulſum.

Vitâ cæteriſque rebus humanis in præceps abeuntibus, unicum à ſpe reliqua ſolet eſſe ſolatium & quaſi malorum omnium levamen. Quod ſi ſpes quoque decollavit, actum penitus eſt. Jam Barbara Joannis Tchork Seeburgenſis inquilini vidua, ipſam quoque ſpem vitæ abjecerat, quando vere proximè elapſo colicis & aliis pectus viſceraque erodentibus doloribus, ad incitas redacta eſt. Actum de illa erat, niſi Diva Lindenſis medicam interpoſuiſſet manum. Voto enim nuncupato interpellata, confeſtim adfuit, & tum colicos, tum alios cruciatus quaſi admotâ manu deterſit, non modò ſpe vitæ, ſed & vitâ ipsâ ægræ benigniſſimè reddita. Quæ ex eo tempore non valens duntaxat, ſed & probè valida Lindam uſque pedes iter fecit. Non diſpar propemodum, in adverſis æquè ac proſperis conditio fuit Stanislai Mazuch Seeburgenſis civis relictæ viduæ Annæ; quæ ſuperiore anno octo continuas hebdomadas, viribus morbo proſtratis decubuit, ſpe vitæ prorſum amiſsâ. Et quid ſpei reliquæ potuit eſſe, quando toto illo ægritudinis tempore, nihil reficiendis viribus cibi aut potionis adhiberi potuit? ſi quid enim nauſeanti ac reluctanti ſtomacho ingeſtum, id pertenue, ac violentum fuit, & in noxam fere magis quàm commodum ægræ vertit. Verùm & hîc interpellata Diva Lindenſis adfuit, & quaſi manu itidem malis admota periculum omne momento diſpulit.

VII. Ma-

## VII.

### Manus & pedes reſtituti.

Lamberti Winter è pago Reſſelienſi Sturmhubel filia Eliſabetha, duos annos brachio dextro ægra, eò calamitatum proceſſerat, ut nulli prorſum operi admovere manum poſſet; proindeque amiſſo manus uſu, ipſam ſibi videbatur amiſiſſe manum; niſi quod præſentiſſimus ſemper dolor, non omnino amiſſam teſtaretur. Ad cumulum malorum accedebat, quod nullum eſſet tantis malis præſens remedium. Humanis igitur orbata præſidiis ad divina confugit, & voto Biſteinum ad Altare, ut vocant, ſanguinis facto, aliud Lindam ad B. V. adjungit. Confeſtim brachium omnino reſtitutum eſt; quo illa jam à ſemeſtri probè cùm fruatur, jam tandem & occaſionem commodam nacta, voti rea Lindam acceſſit. Cæterùm, quod hîc brachio, Seeburgi impenſum eſt pedibus auxilium, Sibylla Matthiæ Han Seeburgenſis inquilini filia, iterum ac tertiò per hyemem proximè elapſam, cruciatu pedum perquàm violento affecta fuit. Occurſantibus animo variis hinc inde remediis, ut fortè humanis non omnino cenſeret diffidendum, maluit nihilominus Deiparæ quàm cujusquam hominis experiri opem. Neque ſpes irrita fuit: voti compos reddita, hodie votum Deiparæ apud Lindam reddidit. Quo tempore Anna itidem Seeburgenſis virgo, Joannis Nitſch filia non jam manum vel pedem duntaxat, ſed utrumque, quatuor jam ante annos ægra, præcedentium calamitatem utramque in ſe una conjunctam ſentiebat; malo præſer-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tim ad duas ſæpe hebdomadas per aliquot retroannos crudelius ſæviente. Geminato quantumvis & inveterato quoque malo, nonniſi unicum ejusdem Lindenſis Deiparæ præſidium cenſuit admovendum. Admotum eſt, voto Lindenſis peregrinationis emiſſo, & ab eo jam tempore ſana, ut gratias, quemadmodum par eſt, agat, quovis deinceps anno Lindam peregrina accurrit.

## VIII.

### Brachia, & Spina dorſi curata.

Chriſtophorus Stentzel in Pranſen pago tribus leucis à Linda disjuncto hortulanum agebat; cùm ſuperioris anni hyeme corripitur morbo; qui cùm cætera in membra victor eſſet graſſatus, in ſpina dorſi atque brachio utroque quoddam quaſi tropæum erexit. Ita nimirum utroque loco regnabat, ut æger neque movere brachia, neque, ob læſam ſpinam moveri ipſe loco poſſet. Movit ea calamitas hominem, ut animum in valetudinis curam acrius intenderet. Id apud ſe agitanti, Deiparæ Lindenſis memoria ſubit. Eo preces fiduciamque vertit, nec ante ſupplicando inſtare deſtitit quàm brevi, non modò ſpem ſed & initium ſanitatis ſibi adeſſe, expertus eſt. Confirmatâ haud díu pòſt ſanitate, in viam ſe dat, & pedes Lindam uſque decurrit, qui commovere pedes loco paulò antè non potuit.

IX. Va-

## IX.

### Varii & graves capitis dolores abacti.

Alternis inter adverſa proſperaque exercetur mortalium vita: ne iſtis perpetuò fruamur, naturæ conditio facit; ne illis aut obruamur, aut perpetuò gravemur, facit itidem DEI ac Deiparæ in mortales benignitas. Quod inter plurimos, aut innumeros potius, experta Michaëlis Gerick in Glottau, agri Guttadienſis pago, ob venerabilis Euchariſtiæ miracula inclyto, Ludirectoris uxor Anna. Florentioribus adhuc annis, varii & graves capitis dolores, tanquam pruinæ in flores deciduæ, propemodum reliquæ ætatis fructus decoxerant. Umbra Lindæ Marianæ præſidio fuit; ad quam ubi ſe illa eo ipſo tempore recepit, omni confeſtim levata dolore eſt. Exinde à duodetriginta fere jam annis bene ac conſtanter valens, nullum patitur elabi annum, quin Lindam accurrat, & beneficii memor gratias agat.

## X.

### Oculorum vitia abſterſa.

Ut nobiliſſimæ in humano corpore partes ſunt oculi, ita eorum ſplendori ac nobilitati, non ludes modò, aut feſtucæ, verùm & minimæ officiunt atomi. Et ut nobilitas tanta iis non ineſſet, neceſſitas certè atque uſus eorum tantus eſt, ut nemo ſit mortalium, qui non orbitatem oculorum, cum ſum-

ſummis generis humani miſeriis componat. Expertus id in ipſa adhuc adoleſcentia ſua eſt Gregorius Fug, Glockſteinenſis pagi in agro Reſſelienſi poſiti colonus; qui ab eo tempore, vitio oculorum, per aliquot annos laborabat, malo in deterius ſemper proficiente. Parentes filii causâ anxiè ſoliciti, nullum malo præſentius remedium, quàm à B. V. petendum cenſuerunt. Simul atque illi votum Lindam ediderunt, ſimul quaſi adhibito cæleſti collyrio, omnis filio dolor ac morbus ab oculis eſt abſterſus. Ille parentibus fato jam diu functis, ad ſexageſimum ætatis annum jam provectus, quemadmodum oculorum acie egregiè pollet, ita quovis anno parentum voto etjamnum reſpondet, & pedes in hac quoque ætate Lindam decurrit.

## XI.

### Spiritale animi præſidium multis annis confirmatum.

Si hominum, ſi jumentorum, ſi arborum quoque vires, cum ætate augentur & firmantur; par eſt profectò, ut divina quoque beneficia, quo ſunt diuturniora, eo & firmiora cenſeantur, & auguſtiora. Si geminum, quod jam recenſuimus, exemplum, à tot jam annis magnitudinem divinorum beneficiorum extollit: extollet, & quidem fortaſſe magis, quod jam recenſebimus; ſi non à temporis, certè à generis conditione ſumpto precio. Quid ni enim cæleſtia terrenis, ſpiritalia corporeis, æterna caducis immenſum præferantur. Talia ſunt, quæ honoratiſſimus quidam vir ad XIII. Cal. Sept. apud Lindam recenſuit. Trigin-

nta jam annorum evolutum eſt ſpatium, ex quo il-
ſtatam quotannis peregrinationem Deiparæ apud
indam dependit. Agnoverat in ſe non levia juven-
tis ſuæ delicta : à quibus ut non ſolveretur modò,
rùm & in poſterum ſervaretur, Deiparæ opem po-
oſcit: & verò etiam ſenſit. Exinde liber tum peccatis
lis, tum peccandi tentationibus, quovis anno Lin-
am accurrit; tum ut gratias pro tantis beneficiis a-
it, tum ut majora gratiæ divinæ incrementa ſu-
at.

## Omnia ſanctæ, Romanæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ judicio ſubjecta.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN